

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 36. Tria Christiano necessaria, ut sibi attendat, ut tempus bene
expendat, ut rectè utatur Sacramentis

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

§. XXXVI. *Tria Christiano necessaria, ut sibi attendat, ut tempus bene ex pendat, ut recte utatur Sacramentis.*

Fidelitati quam Deo debemus tria præcipue sunt necessaria. Primum est jugis attentio ad nos ipsos & ad ea quæ operamur, cuius defectu à recto tramite aberrantes per invia & aspera proficiscimur, nostramque felicitatem quærimus ubi non est, & si ab alio ostendatur non credimus. Vsu rationis homo à feris, fide ab infidelibus distinguitur. Cùm ergo temerè, sordidè, inconsideratè, ventris, vel gloriæ causa & cum impetu aliquid agit, perit hominis officium & ad feras declinat. Cum verò propter se & sua commoda ad agendum movetur, cum infidelibus computatur. Sicut artem perficiunt opera, quæ secundum artis præscriptum fiunt: ita hominem fortem, justum, modestum, prudentem faciunt opera, quæ fortiter, juste, modestè, prudenter fiunt.

Secundum est bonus temporis usus, à cuius momento pendet æternitas. Monent Philosophi solam rerum salubrium notitiam viro sapienti non sufficere, sed studium etiam necessarium est, nec permittendum, ut ulla exercenda virtutis occasio elabatur. Volat enim irrevocabile tempus & quod inutiliter transigitur, nemo restituere potest. Volat tempus, & non advertit insipiens quid amittat. Juvat nimurum confabulari & genio indulgere, donec transeat dies: & sic teritur tempus acceptabile, sic dies & horæ prætereunt, quas ad veniam obtinendam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam misericors Deus indulget. Quòd si de verbo otioso, quod nullam scilicet rationabilem causam habet, rationem reddituri sumus, quanto magis de tempore inutiliter transacto?

Terrium est rectus usus sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, ex quorum frequentia parum proficimus, quia frigidè, ac sine prævia dispositione ad ea accedimus. Proprii verò illorum fructus sunt, si ex pœnitentia crescit in nobis humilitas & amor propriæ abjectionis: ex Eucha-

ristia suavitas & mansuetudo erga proximum & amor erga Deum. Sicut avarus diu noctuque divitiis inhiens , nihil cogitat nisi lucrum & pecuniam , ita qui sæpius hæc Sacra-menta suscipit sicut oportet , semper ad Deum anhelat , nec aliud potest sine ingenti molestia cogitare. *Vitæ per-fectæ* fundamentum hoc est , omnimoda abstractio à re-bus oninibus , quæ Deus non sunt.

§. XXXVII. *Pœnitentiam omnibus Christianis necessariam esse.*

OMNIS Christianus sic vivere , sic mori debet , ut con-tinuo luctu & squallore ostendat se pœnitentem esse , qui pro peccatis commissis satisfacere satagit & ab omni labore purgari. Hoc initium fuit , hæc summa Evan-gelicæ prædicationis : *Fuit Joannes in deserto baptizans & prædicans baptismum pœnitentiae in remissionem peccatorum.* Mar. 1. 4. Ipse met Iesus dux & legifer noster cum se pri-mùm hominibus manifestavit : *Venit in Galileam prædi-cans Evangelium regni Dei & dicens : Quoniam impletum est tempus & appropinquavit regnum Dei : pœnitentia & cre-dite Evangelio.* Ib. 14. Et alius Evangelista ait , *Cœpit Iesus prædicare & dicere , Pœnitentiam agite , appropinquavit enim regnum cœlorum.* Matt 4. 17. Præmissa est pœnitentia , tanquam dispositio ad suscipiendum Evangelium , ut anima ab omni maculâ emundata idonea fieret ad gratiam Dei recipiendam , quæ in malevolam animam non intrat , nec habitat in corpore subdito peccatis. Sacrificium pla-cabile & Deo gratum est , cùm homo resipiscens se deli-quisse fatetur & agnoscens iniquitatem suam , veniam contrito corde à Deo postulat quem offendit. Hoc maxi-mum peccati malum est contemptus Dei , nam qui peccat , Deum spernit & odit : cuius flagitii & perversitatis causa est defectus fidei & considerationis. *Quis enim tantæ de-mentiæ , & temeritatis foret , ut legem Dei violare & transgredi auderet , si verè crederet & intelligeret quid sit Deus & quid sit ipsum offendere , cuius summa boni-*